

V. H. F. a. u. 72 (4)

IN INSTITUTAM
SOLEMNEM PRÆMIORUM
DISTRIBUTIONEM
ORATIO,

HABITA JUSSU ET NOMINE UNIVERSITATIS,
in Majoribus SORBONÆ SCHOLIS,

Die Lunæ 4^a mensis Augusti, anno Dom. 1749,

A FRANCISCO-NICOLAO GUERIN,
Rhetoricæ in Collegio SORBONÆ-PLESSÆO
Professore.







P A R I S I I S,

Apud THIBOUST, REGIS, nec - non Academiae Parisiensis
Typographum, in Plateâ Cameracensi.

M. DCCXLIX.







IN SOLEMNEM
PRÆMIORUM DISTRIBUTIONEM
ORATIO.



U M multa terris affert commoda Pax ,
tum hoc inter præcipua numerandum , quòd
suum Litteris otium suamque alacritatem res-
tituit : ILLUSTRISSE SENATUS PRIN-
CEPS, ILLUSTRISSE PRÆSIDES, INTE-
GERRIMI SENATORES, CÆTERIQUE
AUDITORES SPECTATISSIMI. Non jacent illæ quidem peni-
tùs extinctæ sæviente bello, præsertim cùm prosperè geritur;
cum splendore victoriarum quasi provocata doctòrum homi-
num industria certat quodammodo cum bellatoribus, ne plus
illi virtute & manu, quàm scriptis ipsi atque ingenio exequi
posse videantur : sed habet nihilominùs tumultus armorum
turbulentum quiddam & atrox, quod silentio Studiorum ob-
strepit, neque patiatur mentes imbutas tenerâ humanitate
A ij

quieti, dum Urbes, dum Regna tristibus quassantur diffidiis, indulgere.

At verò, postquam discussis tempestatibus sua rediit orbi terrarum serenitas, tunc, cum cæteris & virtutibus & bonis, quæ ad beandos homines divinitus concessa sunt, Artes placidæ renascuntur: tranquillis fervet in Urbibus Virorum eruditorum labor jam securus, jam excitatus admiratione populorum, quorum aures atque animos solæ inter arma bellicæ laudes occupaverant. Restituitur inter Nationes Doctrinæ vinculo conjunctas abruptum discordiarum vi Litteraturæ commercium: cruentis, quibus se mutuò vexaverant, odiis incruenta succedit, meliorque contentio, non jam, quæ terrâ latiùs imperet aut mari, sed quæ docendi atque instituendi generis humani laude cæteris emineat. Juventus, quæ in nostrâ præfertim gente militiæ nascitur, quo ardore sub signa Martis convolaverat, eodem in castra Musarum redux, & pacificis illarum immista cultoribus alias meditatur pugnas, alios quærit triumphos sibi & patriæ non minùs utiles, non minùs gloriosos.

Hæc per se præstat Litteris ipsa Pax. Sed ô factum bene! quòd ad hanc faustissimam temporum conditionem, quam nobis fecit, quam toti indulsit Europæ LUDOVICUS, aliud quoque præsentissimum Litteris præsidium accedat, hæc, quam celebramus hodierno die, solemnitatis. Factum opportunè! quòd ipsa non in principio, non in cursu flagrantissimi belli ortum habuerit, ut statim ab initio, conversis aliò animis, languesceret; sed quòd jam defervescente præliorum æstu, ac propè cum Pace nata sit, ut cum Pace, & per Pacem confirmaretur.

Et ecce jam tertium suos illa fructus emittit, & uberiores, perpetuosque singulos in annos pollicetur. Quare gaudio trium-

phate, plaudite, quoscumque tangit cura disciplinarum, & tanti muneris Autores debitis mecum præconiis extollite. Hæc nempè tota hujus Orationis summa, cujus prima Pars ostendet, quid Litteris allatura sit utilitatis hæc celebritas; altera Supremo Senatui, per quem instituta est, tam illustre in Republicam meritum gratulabitur: quæ duo sic exequi conabor, AUDITORES, ut, etiamsi cætera mihi defuerint, tamen appareat, me aliquam cepisse animo speciem cœtûs è Civibus conflati, id est, ex hominibus, qui solida, qui fructuosa imprimis confectentur, & quos huc unicum boni communis Studium convocaverit.

At vos, AUGUSTISSIMI CURIÆ PROCERES, quorum aspectu toties debilitata contremiscit virilis illa, rebusque subnixa, atque usu confirmata summorum Oratorum Eloquentia, favete, quæso, in hanc vestram lucem non spontè prodeunti, & impositum mihi pondus per se grave, vestrâ præfentiâ, gravius, audiendi patientiâ sublevate. De vestris beneficiis & decoribus loquor: quandiù dicam, hærebunt in vobis defixi omnium vultus; de vestris laudibus omnium tacitæ mentes cogitabunt, quibus me idcirco ægrè satisfacturum sentio, quòd intelligam, quantam hùc & de singulis vobis, & de universi Ordinis vestri amplitudine atque sanctitate conceptam secum opinionem attulerint.





P R I M A P A R S.

UT Civitatibus & Imperiis, ita Reipublicæ Litterarum commune fatum est, ut nunquam ruinæ propiora sint, quàm cùm ad summum provecta jam videntur non posse ulterius assurgere. Quod cum humanarum rerum inconstantia tribuendum est, quâ fit, ut magna quæque corruant, eo ipso, quòd magna sunt; tum etiam humani ingenii vitio contingit, cujus natura quietis impatiens, & parandæ quocumque modo laudis avida, jam parta superbè fastidit, atque irreperita ambitiosè prosequitur, ut malit res novare cum exitii periculo, quàm in recto, nullâ inventionis gloriâ, consistere. Nobis itaque, quibus tam florentes Litteras Patres nostri reliquerunt, quid magis adnitendum est, quàm ut eas sustineamus à lapsu, per quod & illud fortasse consequamur, ut easdem etiam, digni hæredes, tradamus auctiores posteritati? Quem ad finem ita comparatam arbitror hodiernam Solemnitatem, ut nihil mihi, non dico institui commodius, sed ne optari quidem potuisse videatur.

Enimverò vestras ipsi voces recognoscite. Ubi prima de nostris Concertationibus atque Præmiis fama vulgata est, qui tum publici fuere sermones, quæ cujusque verba? Nempè novos additum iri stimulos æmulationi Studiorum, suumque redditum iri Græcis Latinisque Musis decus; quæ duo Litteris in hâc temporum inclinatione maximè profutura. Ad illas itaque spes jam tum se vestri erigebant animi: nunc quàm non vanæ, quàm certò implendæ sint, mecum attendite.

Atque ut à novis ad Studia incitamentis exordiar, sinite me,

AUDITORES, de æmulatione dicentem, totam Orationem iis includere, quæ hujus diei propria sunt, per quæ pulcher enascatur ardor, quo flagrans animus omnia magna concupiscit, neque suprâ alios tantum, sed interdum etiam suprâ se ipsum felici contentione enititur.

Ac primò quidem si quæritis huic igni materiam à splendore concessus: quem habet tota Gallia concessum hoc, quem præsentem intuemur, ampliorem? Adest Senatus augustissimus, Urbis ornamentum, Regni oraculum, Patriæ præsidium; eâ in suos Reges fide, quâ stetit inconcussa in turbulentissimis procellis Gallica res, & quam singulis ætatibus sui vicissim Reges novis decorum accessionibus, & pretiosiori quibuslibet decoribus fiduciâ remunerati sunt: tantâ caritatis in omnes Cives existimatione, ut Proceres vigilantissimos non minùs sicut Patronos & Tutores amplectantur ac diligant, quàm illos uti Judices & Arbitros colunt atque venerantur: tam insigni denique etiam apud exterarum Gentes æquitatis auctoritate, ut res suas ad integerrimam Curiam disceptandas, judicioque dirimendas non semel Principes alienigenæ detulerint. Adsunt ex omnibus Ordinibus Viri in omni genere præstantissimi; flos lectissimus, flos delibatus eruditorum, quos habet hæc Urbs, illustre Doctrinarum Artiumque domicilium, & multò etiam magis ingeniorum suorum laude, quàm Civium numero, quàm opibus ædificiisque & cæteris suis insignibus Princeps. Adest tota suis excita Gymnasiis Universitas, & in hujus lucis festivitatem senio rugisque depositis veneranda Mater, nunc in vos, AUDITORES ORNATISSIMI, nunc in suam Sobolem sensus oculosque dividens, optatissima sibi tempora gratulatur, & manantibus præ gaudio lacrymis novæ quasi Juventæ spe & afflatu recreata reviviscit.

Vultis deinde ad acuendam æmulationem, habeat proposi-

ta victoria singulare quiddam & eximium, quo acriores inu-
sitatâ laude faces animis subjiciat. Hoc habent etiam illæ, quæ
nostras concertationes sequuntur, laurus. Non enim concur-
rendum fuit intrâ brevis alicujus areæ spatium, sed in im-
menso illo totius Academiae Principis campo: non cum fociis,
& contubernalibus, sed cum ignotis, quorum præcipuè refor-
midantur vires: ut crescente pro magnitudine curriculi, pro
numero & genere pugnantium vincendi difficultate, cresceret
pariter gloria vincentium, & ab ipsâ celeberrimæ Universita-
tis famâ æstimaretur.

Atque equidem cùm mihi proposui varias illas studiosæ Ju-
ventutis veluti turmas è suis quamque sedibus ad indictum cer-
ramini locum procedentes, videre mihi videor illos Græcarum
Civitatum cursores & athletas, nunciatâ ludorum Olympico-
rum celebritate, undique convolantes, ut in maximo tot po-
pulorum conventu unusquisque & ante collectam apud suos
populares virtutis existimationem, & urbis patriæ nomen de-
cusque tueretur. Et illi quidem revertebantur domos curribus
subnixi, fertis revincti, ad Deos terrarum Dominos evecti:
occurrebatur illis à Civitatibus, quarum dignitatem amplifi-
caverant; miris gratulationibus ab amicis, à parentibus exci-
piebantur. Ut par nostrorum juvenum alacritas, par ipsa etiam
eademque gloria: eorum quoque nomina per familias, per
Urbes, per Provincias fama personabit: imò eò prædicabun-
tur, quàm illi jactantius, quò laudis majoris est ingeniis vi-
cisse, quàm corporibus.

Quid prætereà requiritur, ut illa, de quâ dicimus, animo-
rum flamma in optatum exardescat incendium? nempè digni-
tas & excellentia præmiorum. Fuit hæc Veterum in æstiman-
do suorum rectè factorum pretio moderatio singularis, vel po-
tius animi magnitudo, ut aliquot ex quercu, ex oleâ, aliisve
arboribus

arboribus frondes fatis honorificam virtutis mercedem ducerent. Quorum exemplo etsi admonemur ea non contemnere, quæ hîc ante oculos exposita cernitis, levia tamen ista, per me licet, judicatote. De majoribus loquor: de iis loquor, quæ in reliquum vitæ cursum redundatura sunt. Hodie, Juvenes, publicæ de vobis opinionis fundamenta jacitis, & ad ætatem beatè & cum dignitate peragendam certa jam vobis subsidia comparatis. Et hoc ipsi nimirum intellexistis: audivistis suavissimas illas & eloquentes æmulationis voces; quibus benè natas mentes hortatrix animosa dies noctesque concitat, & adolescentes magnis ortos Parentibus monet, genus vel splendidissimum ignorantiae tenebris turpiter obscurari; nefas esse in opibus & in claritate Patrum inertis otii, & superbæ segnitiae præsidia collocare; Paratos esse plausus nobili industriæ sic; prima famæ rudimenta poni, quibus feliciter constitutis, patere præclaram rectamque viam ad prædicationem hominum gloriamque majorum. Neque alios genere vel divitiis inferiores finit eadem torpescere; sed vos præcipuè,

quorum virtutibus obstat

Res angusta domi,
vos eò vehementioribus pungit urgetque calcaribus, monita laudesque miscens, quò per plura vobis impedimenta eluctandum est. At benè est, inquit, ô JUVENES OPTIMI, quòd & ex his difficultatibus ad gloriam anhelatis; quòd mentem erigit, quòd pulchri vigoris nervos intendit illa virorum fœcunda Paupertas. Exigui animi est incusare Fortunam, quæ nulli obstructum voluit aditum ad lucem, cùm nemini præcluserit ad Virtutem. Vobis plaudite, quòd ad illam ætatem sitis reservati, quâ illustris aperiretur campus, in quo non decore natalium, sed præstantiâ doctrinæ certaretur; ubi vinceret, non qui divitiarum copiis abundaret, sed qui ingenii vi & celeriter

tate præcelleret : macti igitur his animis este : non deerunt , qui solertiæ destitutæ subveniant , & manum porrigant naturæ erumpere cupienti.

His adhortationibus , his promissis suos Alumnos pro variâ ipsorum conditione intus accendit omnis boni procreatrix æmulatio : qui cum ardor ad plures pertinuerit , non temerè confidimus novum exinde præcis litteris decus & lumen accessurum.

Neque ignoro quàm elatè , quàm magnificè de suâ ætate sentiant nostrorum hominum maxima pars : scio quibus illam certatim laudibus efferant : nempe disciplinas omnes nunquam acrius , nunquam felicius excultas fuisse , nunquam tractatas à pluribus. Oculos , aiunt , huc illuc conjicite : illas aspiciite partim jam adultas , partim nascentes virorum eruditorum societates , quarum ope per omnes latè Provincias doctrinæ radii diffunduntur. Magna hæc , AUDITORES , & ad hujus temporis commendationem splendida ; sed interim dum nobis placemus , Litteras tantum non amittimus.

Hujus porrò mali causam quæritis ? Audite non meam , sed omnium , qui de his rebus exploratè judicant , querimoniam. Jacent eruditæ linguæ. Sordet plerisque nostris hominibus Græci Latinique sermonis studium. Hæc jamdiu nostram litteraturam labes inficit : hæc illam , serpente in dies vitio , nisi vestra prodivisset sapientia , PROCERES AMPLISSIMI , totam brevi confecisset.

Ac mihi quidem quoties redit in mentem de singularibus , de immortalibus harum linguarum in universum genus humanum , ac præsertim in nostram Galliam meritis , vix mihi tempero , quin adversus ingratum hoc ætatis superbæ fastidium acerbissimè invehar. O dies lætos faustosque , & nimium celeriter oblivioni traditos ! Cum in illâ barbariâ , quæ nostris dudum re-

gionibus, velut atra nubes, incubuerat, prima radiare cœpit ad nos ab Orientalibus plagis aurora litterarum. Excidio Patriæ superstes Græcorum lingua in Italiam exul appulerat, ubi cùm Latinam vix agnovisset, illam pristinæ suæ dignitatis confestim admonuit, paucisque post annis ambæ jam haud indignæ comites, unà contenderunt in Galliam, ut quàm modò præstiterant Italis à se perpolitæ operam, eandem nobis ambæ simul impenderent. Quibus illæ studiis, quantis amoribus exceptæ sint, quis ignorat? Et nostra quidem lingua tantarum Hospitum ubertatem admirata, suam statim inopiam tenuitatemque confessa est; illarum itaque voces figurasque sectari, & primò satis improspere, sed animosè tamen, ut quæ futuræ magnitudinis jam tùm sibi conscia, nulli spontè concederet. Reptabat adhuc; & jam illæ ad perfectæ maturitatis robur apud nos affurrexerant: Balbutiebat informis adhuc, & sine spiritu; & jam illæ Principum aulas, concessus eruditorum, Gymnasiorum palæstras implebant. Nihilominus in Magistras constanter intuens, ad illarum numerum majestatemque, quamvis paulatim & lentè, sese conformabat. Sic primùm ablegata è sermone asperitas, & nitor additus priscae simplicitati. Neque segniùs intereà fugabatur ex animis ignorantia: donec coacervatis per aliquot ætates sermonis & doctrinæ opibus, aliam linguam loqui, alii homines esse cœpimus, & illa tandem extirpère tempora, quorum ad recentem memoriam etiamnum ipsi obstupescimus; quorum fulgore famam nostram hætenus inter æmulas Europæ Nationes sustentamus; quibus gloriamur, dum multos in eas linguas propè contumeliosos videmus, quarum è fontibus ad nos id omne derivatum est, unde gloriamur.

Et sanè præclaras Litterarum Parentes exulare jubeamus, si totum ex illarum discessu periculum subeundâ immemoris contemptus invidiâ continetur. Sed quis non videt iisdem ferme

rationibus opes parari & conservari ? Ac proinde metuendum fuisse , ne brevi nobis id accideret , quod illis Divitum Liberis solet , qui ab artibus , quæ Patres locupletaverant , descivêre. Florent illi quidem & agunt splendide ; vitam otiosam voluptariamque ducunt. Quid postea ? Citò exarescit ille Pactolus Majorum sudoribus inductus in domos , & serò Parentum suorum , quos vulgò contemnunt , sapientiam , suam verò stultitiam intelligunt. Nonne hæc nostræ fortis imago est ? Fruimur thesauris Avorum , quibus fuerat tantis laboribus institendum cum Veteribus commercium ; sed iis fruimur eorundem laborum impatientes. Quid porrò futurum arbitramini ? Non agam cum Scriptoribus nostris injuriosius : stant hætenùs nostræ res ; adhuc vigemus aliquot ingeniorum gloriâ , quæ tanquam pretiosas melioris ævi reliquias suspicimus ac veneramur : sed tamen mihi nunc videntur apud nos litteræ illarum arborum similes , quæ postquam peregrini verticis decus nostros in hortos intulerunt , propitium solum cœlumque nactæ , radices agunt , furculos trudent , spissis frondibus ad nostrarum invidiam opacant loca ; sed mox , si vel paululùm cessaverit cura colentium , incipiunt citò senescere , fructusque ferre succi minùs generosi , sensimque decolores. Sic est , jam ab illo Parentum nostrorum gustu & sapore recessimus : jam aliquis Filiorum partus inferiore quâdam notâ certò dignoscat : jam degeneravimus.

At vota vestra tandem hæc dies adimplebit, **VIRI ERUDITI**, Quanquam enim nunquam destiterat alma Parens Universitas omni ope in Suis doctarum linguarum amorem fovere atque alere , necesse tamen fuit frigere quodammodo studium , quod viderent quotidianis obtrectatorum sermonibus impeti : sed postquam harum pretium Senatûs Amplissimi curis patefactum est , & ab imperitis impugnabuntur timidius , & à nobis

colentur diligentius, & evolabunt quotannis è nostris umbraculis adolescentes egregii, qui utriusque amorem, quem à primis annis imbibierint, in Forum, in Curiam, in Academias, in Castra, in omnes tum privatae, tum publicae vitae partes circumferent: neque hoc sine magno linguae etiam Gallicae emolumento.

Liceat enim nostris conviciatoribus quidquid contra libuerit effutire. Stabit hoc experiëntiâ confirmatum: qui in Veterum linguis plus operæ collocassent, eos in nostrâ vulgò præstantius excelluisse. Cujus rei vultis hîc testes appellem ingentia illa Scriptorum nomina, quorum vigiliis effectum est, ne longius armorum nostrorum, quàm ingeniorum fama porrigeretur. Verùm sufficiat duos excitare, quos vidistis, quos meministis, quorum alter non Romanâ purpurâ, quàm titulis doctrinæ clarior, etsi reliquit opus, cui magnam vitæ partem incubuerat, pulcherrimis exquisitæ latinæ versibus imprimis commendandum, sic tamen omnes Sermonis nostri veneres opesque percalluerat, ut nullius ore lubentius aut dignius ad Principes, ad Reges, ad Summos Pontifices Gallia uteretur: Alter in hac Academiâ, in quâ diu floruit, semperquæ floret, contritâ inter Græcorum Romanorumque Musas ætate, cùm annum propè sexagesimum agens ad scribendum gallicè animum appulisset, eam de repente famam consecutus est, ad quam rarò, qui in Litteris nostratibus unicè habitaverunt, multis operibus pervenêre. Ambo in rebus & genere & scriptione disjunctissimis successu simillimi; Ille dum vaferimum impietatis Patronum, quem ingenio adæquaret, causâ verò tantoperè vinceret, adortus, dubiam fecit ipsam quoque palmam Poëseos, & cum hoste omnia nativæ linguae lenocinia in subsidium advocante, penè de ipsâ etiam sermonis elegantia contendit: Hic autem, dum totus in colligendis benè dicen-

di, rectèque vivendi præceptis & exemplis; idem utriusque magister & exemplum, aureo illo usus est, amplo, atque magnifico, cui apud Veteres assueverat, orationis cursu, & unus inter paucos dictionis nostræ dignitatem maximè comprobavit. Et cæteras quidem tantorum Scriptorum virtutes alii persequantur; in POLINIACO cognitionem rerum maximarum uberrimam, conjunctam verborum splendori & ponderi disputandi facilitatem, lætissimam amœnissimarum imaginum vim & varietatem: in ROLLINO gravem & subactam limatissimi judicii maturitatem, illecebrofam jucunditatem narrandi, & disseminatas huc illuc, quasi Mentis & Sapientiæ diverforia, sententias: nos ex summis Viris id tantum assumimus, per istam consuetudinem cum scriptis Veterum nostram linguam mirum in modum ali, ditari, corroborari.

Et habet Latina quidem, quod suos sibi restitutos honores etiam ex temporis opportunitate lætetur. Scitis enim, AUDITORES, quid superiore sæculo contigerit. Orta lis erat, utrâ linguâ LUDOVICI MAGNI monumenta inscriberentur, Romanâ an Gallicâ; utraque pro se ingentis spiritûs & eruditionis viros armaverat. Ostentabat Romana priscum illud & quod adhuc vigeret per Gentes imperium, confirmatamque tot ætatum testimonio famam; prædicabat vocum suarum vim, breviter sensu tinctam, majestatem; jam se nullas metuere vices temporum aut Regnorum; quæ tot ad nos Victorum nomina detulisset, se solam esse dignam, quæ tanti Regis trophæa victoriasque consecraret immortalitati; sordere vulgaria; solam imperitis permittendam admirationem, & reservandum Doctorum intelligentiæ de Heroum gloriâ, velut in aliquo penetrali sepositâ, judicium. Ex adverso Nostra suum decus eò defendebat acrius, quod recentius obvenerat, & affectu præsentiori animos erexerat. Enimverò jam se divisum cum

Rivali, etiam inter populos suo nomini infensos, Imperium obtinere: nec sibi deesse verba, quæ tam stupendi Regni prodigiis responderent; si metuerentur sermonis mutationes, sic illum certò posse constitui; nùm satis honorificum Genti fore, si cùm sciret vincere, sua æternare facta nesciret; jam quid æquius, quid deinde ad excitandam virtutem efficacius, quàm omnibus divulgari sensum gloriæ publicæ, ut multitudo, ut horridus ille atque indoctus miles, sed vulneribus pertusus sui Regis laudibus, fusique sanguinis pretio frueretur. Hoc vidisse Romanos ipsos, qui non peregrinâ linguâ, sed vernaculâ suorum Fabiorum, suorum Cæsarum titulos statuis, arcubus & columnis insculpsissent. Hæc utrinque jactabantur; neutra hærebat, neutra cedebat: quid plura? vicit Romana.

Age modò, lingua triumphatrix, & assertum tibi regnante Proavo decus Pronepoti memor repende. Et Ille quidem linguis omnium Gentium celebrandus, cujus non ad suos, non ad socios tantùm, sed etiam ad hostes, sed ad universum genus hominum merita pervenêre. At illo etiam nomine præcipuæ tuæ sunt in hoc tam pio amoris & gratiarum debito partes. Cùm enim nulla æquè ac tu pateat, nulla tam potest beneficiorum cursum præconiis longè latèque diffusis adæquare. Accinge te ad exornandas immortalibus notis Civitates: **LUDOVICI** virtutes in æra, in marmora incide: elogia compone non ad pompam, non ad fastum, quæ dedignatur; sed ad humanitatem, sed ad veritatem, quas unicè diligit. Videant Galli, & Patris laudes agnoscant: videant Gentes exteræ, & Illius plaudant honoribus, nosque felices dicant, quibus REX obtigerit, eâ animi æquitate, ut velit, eâ rerum gestarum magnitudine, ut possit, absque invidiosâ assentationis vanitate laudari.

At quantum ex renovato doctarum linguarum splendore

efflorescet commodorum in Litteras ! jam plures è nostris hominibus rivulos aspernati, ex ipsis fontibus Poëseos & Eloquentiæ divitias haurient. Scriptores antiqui jam non ex emortuis atque exanguibus sui simulacris, sed ex se ipsis judicabuntur à pluribus. In ipsis omnes illorum lineamenta, compositionem, colores admirabimur, atque in opera nostra transferemus. Verùm hæc & alia, ut intelligitis, non pauca prudens omitto, & illuc propero, quò me vocat impatiens cupiditas Ordini amplissimo hujus institutæ celebritatis gloriam gratulandi.



S E C U N D A P A R S.

EST in institutis ad utilitatem publicam pertinentibus ea dignitas apud omnes & gratia, ut proposita acerrimam sui expectationem commoveant; confecta verò incredibilem eorum per quos ad finem perducta sunt, amorem atque admirationem animis Bonorum omnium injiciant. Habet nimirum unusquisque nostrum impressam quamdam à naturâ Virtutis imaginem, cujus ex normâ si quid efformatum de repente extiterit, omnes acclamare, plaudere, & eos omni prædicatione dignos pronuntiare, per quos id effectum sit, quod ipsi optimum esse conscientiam admoniti intelligunt.

Hinc illi sensus, quibus homines prosequimur de re communi bene meritos. Hinc in omni civitate præmia illis amplissima constituta, honores, coronæ, statuæ: hinc, ne in exemplis aliundè reperendis mea evagetur Oratio, vestra illa fama, PROCERES AUGUSTISSIMI, cujus quidem dum ego mecum reputo vel antiquitatem tot monumentis consignatam,
vel

vel immensitatem per omnia Regna diffusam, vel claritatem inter tot & tam varios casus ad nos sine labe continuatam, nonnihil commoveor, ne recens ea laus, quam vobis hodie gratulandam suscipio, vix aliquuid tantæ luci additura videatur.

Quanquam quid verendum est, ut satis splendidum decus illud existimetur, quod sibi omni ætate Reges Imperatoresque potentissimi summâ curâ comparandum putaverunt: quod Alexandri, Augusti; quod CAROLI, FRANCISCI, LUDOVICI certissimum, quo tot virtutes, tot labores, tot triumphos ab oblivione vindicarent, præsidium esse judicaverunt? Quid ad hujus Ordinis dignitatem cumulatus, quàm si cùm Reges nostros illâ Juris administratione jam nobis exhibeat, eosdem etiam nobis horum in Musas beneficia æmulando repræsentet? Quanti prætereà splendoris est, magnorum Virorum vel liberis vel successoribus relicta à majoribus in gloriæ curriculo vestigia sic persequi, ut, cùm nullam ex iis, per quas floruere, laudibus deferas, aliquem etiam videri possis titulum avitis insignibus adjecisse.

Sed hîc Majorum vestrorum mentionem facienti, quæ subito nova lux oboritur? Quot & quanta menti simul recurrunt augustæ Curiae lumina? Quàm multæ Domus, & Viris, quos ipsæ tulerunt, doctissimis, & amore in Litteratos insignes? Ex tot nominibus quæ seligam, quæ omittam? BRISSONIUM si appello, Illum, quem non magis pro Patriâ, pro Rege fortiter obita mors, quàm immensa doctrina nobilitavit; de quo sic gloriari solebat HENRICUS TERTIUS, tam multiplici scientiâ hominem nemini suæ ætatis Principi contigisse: ecce me rapit ad sese THUANUS ingens, Historiæ nostros inter homines Princeps, nisi potius adscribendus ille est antiquis, quos sermone secutus est, & æquavit: THUANUS, nomen huic Academiæ quam post longos bellorum tumultus, jubente

HENRICO QUARTO reformavit, semper venerabile, & æternum non Senatûs Parisiensis tantum, sed & Galliae totius ornamentum! SERVENUM si commemoro, cum eruditionis & eloquentiae laude, tum etiam ardentissimo in Rempublicam & in rem Litterarum studio conspicuum: revocat me ex alia parte, & in se jubet oculos convertere PITHÆUS, Varro Gallicus. Tum se quasi confertim offerunt veteres illi HARLÆI, MEMMI, MOLÆI, TALÆI, BELLEVREI, LAMONII, BIGNONII, PELTERII, aliaque quàm multa Themidis & Musarum oracula pariter atque præsidia: at ignoscite ingentes Animæ; tot tantæ famæ nomina angusta non capit Oratio, & melius reviviscitis in virtutibus Nepotum.

Enimverò quàm diligenter illorum laudes imitami! Illi doctrinae Litterisque magnis animis instabant: utinam liceret hic singulos ex vivis producere, qui eodem studio incensi, eadem eruditionis famâ prædicantur! Quantam explicarem Auditoribus cognitionum suppellectilem, & earum, quæ ex vastissimo illo Jurisconsultorum pelago deferuntur; quæ spectant Instituta Patrum, Jura Regnorum, Legesque Populorum; & earum etiam quibus ad Humanitatem & ad Elegantiam animos informant politiores disciplinae. Illi Viros scriptis suis nobiles amicissimâ familiaritate complectebantur, adhortationibus excitabant, præmiis ornabant, sed privatâ singuli auctoritate, ut Scipiones, ut Lælii: Vos idem præstatis iisdem artibus, & universi prætereà, uti Civitatum Rectores decet, publico consilio Juventutis studia promovetis. Itaque ut vivit illorum memoria Doctorum carminibus orationibusque commendata; sic inde magna vis existet Poëtarum, atque Oratorum, quorum operibus & Litterarum Patroni, & hujus Academiae, à Regibus nostris fundatae, amplificatae, dotatae, à vobis toties defensae, nunc demùm penè instauratae custodes

ac vindices in omnem posteritatem celebrabimini.

Verùm nihil ne laudis præter hunc splendorem, qui ducitur ex Patrocinio Litterarum habet hæc instituta Solemnitas? Imò solidam commendationem habet, cum utilitate publicâ conjunctissimam, adeòque vobis talibus Viris dignissimam.

Et profectò magnum est Imperii majestatem ac jura defendere, domestica privatarum cupiditatum bella æquitate compefcere, stare quodammodò medios inter Principem & Populos, mutisque hinc amoris & benevolentiae, illinc pietatis & obsequii testimoniis tueri Patriæ felicitatem: at, si fas est quod sentio dicere, non minoris esse dignitatis arbitror, homines in illo culmine collocatos ad has educandæ Juventutis curas descendere: vel potius nihil arbitror magis ac certius illi virtutis & boni communis studio, qui veræ solidæque gloriæ fons est unicus, esse referendum.

Neque verò mirandum est Patres sapientissimos hanc etiam publici regiminis partem respexisse, cum jam olim pronunciatum sit, eas maximè florere Civitates, in quibus maximè floreat Litteræ. Quid ita? Quoniam inde, ut plurimum, exulat segnitia virtutum omnium interfectrix, & ibi major esse solet excultorum ingeniorum numerus. Nempè ex laboris assuetudine animorum culturæ conjunctâ illos homines existere, sibi & suæ ætati decori futuros; illas fingi mentes ad omnia vitæ civilis officia idoneas, & rerum publicarum gubernaculis admovendas.

Oculos attollite: videte illum Nestorem universa Galliæ jura è supremo Themidis fastigio moderantem, tantumque fastigium animi excelsitate superantem: non annis magis, quàm honoribus cumulatam: REGI acceptissimum, huic Ordini gratissimum: quem omnes amant, venerantur, admirantur: rursùm cogitate Magistratum præstantissimum, qui ex hoc

Senatorio gradu ad alium nuper translatus æternam sui memoriam reliquit Foro, ubi tandiu blandum in animos dominatum exercuerat. O Litteræ, quantum in duobus summis Viris de Republicâ commeruistis! Ille ex vestris fontibus eam hausit prudentiam, quâ veteribus illis Gentium Legislatoribus est comparandus; Hic illam facundiam, cujus perfectissima forma stat, stabitque diu pro regula; ex qua mirabundi pendebant senes; cui omnes obsequebantur. Jam quid utroque melius, quid incorruptius, quid religiosius? adeò non ad doctrinam tantum, sed etiam ad moderationem, ad constantiam, ad integritatem, ad omnes denique virtutes conferunt Litteræ!

Quantas itaque credibile est acturum vobis gratias, si revivisceret, Virum illum, cujus munificentia dudum quæsitam his ludis occasionem aperuit! Voluerat ille quidem præclaris aliquot Artibus, quas dilexerat, post mortem prodesse; sed profectò fateretur, longè vos meliùs vidisse, longè utiliùs consuluisse, secundùm litteras, quas etiam amaverat, scriptisque suis vivus ornaverat, testamenti sui mentem interpretando, sibi que rectæ voluntatis conscius, in vobis facti sapientiam lætus & memor admiraretur.

At verò quod ille non potest, id exolvunt gratissimi Civium vobis circumfusorum affectus. Nam quo amore creditis, quâ observantiâ, quo propè cultu vos ab illis aspici? En, inquit, en illi, quibus olim liberorum nostrorum scientiam, prudentiam, virtutes debebimus: quibus debebimus, quod tam dulce naturâ parentum nomen, publicâ de liberis nostris existimatione dulcius in dies futurum sit senescentibus.

Harum tibi gratiarum pars præcipua rependitur, **ILLUSTRISSENATUS PRINCEPS**, à quo præcipuè beneficium illud est quo exultamus, & cujus autoritas huic celebritati tantum addit ponderis, quòd instituta sit te promovente, te

decernente. Mandabimus posteris, fastisque nostris custodiemus MAUPÆUM nomen, cujus ad mentionem obversabitur animo Gens, quæ bellicas laudes cum civilibus, loricas galeasque Martis cum trabeis infulisque Themidis pari semper laude confociaverit. Observabitur tua illa Dignitas, quæ si ex iis, qui tibi assident, æstimetur, quam credere fas est, illi deesse virtutem, qui electus sit inter tales, & qui tot præsit virtutibus! si ex seipsâ, qualem illum necesse est, quem pupilli Parentem, rei Præsidium, Cives Arbitrum, Populi habeant ad REGEM Interpretem! Obversabitur illa vis eloquentiæ, quæ non per sese magis, etsi tanta est, quàm usu & veritate commendatur: tum vigil & experrecta illa diligentia, morarum inimica, quâ iis etiam prodes, quibus te favere non finit æquitas: tum simplex & inaffectedata humanitas, quâ neminem à te submoves, & amas præsertim Innocentiæ suppliciter adeuntis sublevare verecundiam. Hanc Tui describemus imaginem nepotibus, per tua beneficia nostris in præcordiis multò expressiùs atque illustriùs exaratam.

Neque justissimâ recordatione fraudabitur ille Vir, qui per tot annos procurandis inter multa publicæ disciplinæ commodis præpositus, hodie Successorem sibi videt, non tam Patri, quàm patriæ gratulandum. Nimirum jam olim ille senserat, confecto cum omnium admiratione Studiorum cursu (nam cur ea tanquam parva dicere pudeat, quæ ipse tanta credidit) senserat, quid sibi strenuus pueritiæ labor attulisset, cum ad reliquorum laborum, qui vitam Reipublicæ consecratam impleverunt, patientiam comparandam: tum maximè ad augendam acuendamque illam, quâ suprâ fidem viget, mentis sagacitatem. Deinde hoc etiam expertus in egregiâ Sobole, stabat in excubiis Vir, qui Civium liberos haberet in suorum loco, si qua se daret opportunitas, id in cæteris tentandi, quod in Suis tam secundo exi-

tu præstiterat. Itaque ad primam occasionis auram pio indulgere gaudio sapientis autor consilii : tum instare proposito : tum varios obices amoliri paulatim , providè , constanter , donec extremam veluti manum præclaro impositam operi Senatûs Ampliissimi studiis conspirantibus atque decreto viderit.

Frueris , VIR ORNATISSIME , fruimini , PROCERES AUGUSTISSIMI , iis fructibus quos spectastis , quos speramus , ut Cives quamplures vestri similes habeamus. Plenum solidæ gloriæ consilium vobis omnes Ordines gratulantur : gratulatur ipsa Religio , cujus huc in Scholas convenistis. Videt illa , & acerbissimo cum dolore videt gliscentem in dies impietatem , quæ quanquam , ubi erumpit palam , vestris telis configitur , vestris sententiis coercetur , perstat tamen , perstat malum immedicabile , nisi Juvenum mentes à Studiis frivolis ad libidines , à libidinibus ad odium contemptumque rerum divinarum nimium sæpè prolabi solitas severior institutio statim maturaverit , & ad seria , ad vera converterit. Illud enimverò se vestrâ sapientiâ confidit affecuturam : confidit hinc sibi paratos fore defensores , qui se , non tam adversus manifestos hostes , quorum ex assultibus jamdiu est , quòd nihil reformidat , quàm contra perfidas ancipitesque privatorum corruptorum voces , nec verbis tantum , sed & morum atque exemplorum auctoritate tueantur.

At hujus institutæ celebritatis gloria novum etiàm ex ejusdem perpetuitate pretium comparabit. Fieri sæpè vidimus , ut multa præclara , initio splendidè jactata , & unde plurimæ commoditates profecturæ viderentur , brevi refrigeratis hominum Studiis , ac ne expectatâ quidem temporum ruinâ , penitus conciderent. Illum defendit à nobis metum vestra benignitas. Quòd enim hos Ludos vestrâ præsentia cohonestare

dignamini, hoc est illos non tam semel institutos conservare, quàm quotannis instituere. Convenient quotannis Cives & liberorum suorum amore convocati, & vestri visendi studio excitati. Amabunt singulis annis illam recognoscere tanti Ordinis majestatem, ejus quò sæpius spectaculum usurpatur, hoc illa jucundiùs allicit oculos, & majori animos implet imagine dignitatis. Amabunt hîc videre magna illa Legum Columnina non edictorum severitate, non gladio Themidis metuenda; sed paternis curis, sed humanissimâ popularitate conspicienda: atque uti terra sui solis tepefacta caloribus, sic Musarum hic campus vestro sæcundatus aspectu florescet in dies lætiùs, atque ampliori messium proventu exuberabit.

Magna prætereà vis est veræ gloriæ. Vobis præsentibus, propioribus exemplis magis accendentur Civium animi ad æmulandam vestram laudem, vestrumque studium: & jam æmulatus est vir & totâ, quanta fuit, vitâ de Litteris bene meritus, & idoneus etiam qui, antequam supremum obiret diem, ad aliquam hujus vestri decoris partem accederet: qui dux & moderator Domûs, quæ peculiari clientelâ vestra semper fuit, ita crediderat se probatum iri talibus Patronis, si vestræ in Rempublicam caritatis imitator extitisset: quem ego libentissimè pluribus exornarem, si quid, post ejus mortem, ad extollendam illius liberalitatem, iis addi posse arbitrarer, quibus vivum D. RECTOR, eâ quâ pollet Vir Amplissimus Eloquentiâ, in publicis Academiae Comitibus profecutus est. Neque in illo constitit felix imitatio, & deindè permanabit ad plures benefaciendi voluntas nobilis, quâ etiam sine honorum aut titulorum commendatione possis apud bonos inclarescere, & in exiguo eorum numero recenferi, qui genus hominum amavêre,

Quique sui memores alios fecêre merendo.

Sed quid ego Juventutis arrectæ jamdudum & expectatione suspensæ triumphos & gaudia demoror? Aspicite, AUDITORES, & universos, & eos, quos sanguis, quos privatæ necessitudines unicuique vestrûm cariores efficiunt : videte pulchrum in fronte pallorem, & indices animorum intûs spe & pavore trepidantium notas, ex quibus haud dubia generosæ indolis auguria concipite. Jam sibi præclari atque magnifici judicio, quo digni præ cæteris habiti sunt, qui congredierentur, quàm vellent suas quisque domos splendida reportare signa victoriæ, vel ad suos Litteras mittere laureatas! Hunc porrò pretiosissimum suæ Sobolis delectum tenerrimo, quo potest, affectu vobis commendat Universitas, PROCERES AUGUSTISSIMI : Crescat vestris sub auspiciis : crescat in spem Religionis, in spem Regni, in spem Litterarum : commissa sibi virtutum & doctrinæ femina reddat olim ingenti cum fœnore. Hoc ambit, hoc votis omnibus efflagitat, hoc sperat pia Mater : tum supplex orat eadem atque obtestatur, si suas curas atque sollicitudines, si suos labores non improbatis, se, ut semper fecistis, benevolentiam complectamini, constantique præsidio defendatis.



CUM PERMISSU. *Die quartâ mensis Septembris,*
anno Domini 1749. BERRYER.

Registré sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, N° 3333, conformément aux Réglemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du 10 Juillet 1745. A Paris, ce 5 Septembre 1749. Signé, CAVELIER, Syndic.